



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad  
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo  
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Instantia de promulga[n]dis decretis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10502**

prece, ad sedem Pontificalem sub vmbella accessit. Reuerendissimus D. Episcopus Cremonensis Missæ sacrum ritu Ambrosiano peregit: iisdem planè seruatis, quæ superius dicta sunt.

Aboluto Missæ sacro, sessionalis locus statim suo ordine dispositus fuit; & Illustrissimus Metropolitanus, ac Reuerendissimi Patres, vt in prima sessione dictum est, mitram & pluuialia induunt primò, tum in sessionem descendunt: omnibusque ordine dispositis, Illustrissimus Metropolitanus ad præscriptum libri Pontificalis statas preces exorditur: abfolutoque Euangelio Reuerendiss. Dominus Episcopus Cremonensis, comitantibus & assistentibus duobus Diaconis pretioso apparatus indutis, suggestum ascendit, & euangelicam lectionem interpretando mira eloquentia & singulari pietate de Episcopali munere concionatus est.

Concione abfoluta, & Reuerendissimis Patribus in sessione suo loco & ordine confidentibus, nempe Dertonensi, Cremonensi, Bergomenfi, Brixienfi, Astensi, Alexandrinensi, Albenfi, & Intimillienfi, ac item Reuerendissimo Episcopo Cafalensi, qui hodie primùm ad Synodum venit, & omnibus vsque ad finem Concilij gestis interfuit, A Cantoribus himnus [Veni Creator,] Illustrisf. Metropolitanò præcinente decantatus est, & aliæ preces recitatae. tum primùm comparauerunt RR. Promotores, & in hanc sententiam institerunt super promulgatione decretorum.

#### Instantia de promulgandis decretis.

Illustrissime & Reuerendissime Metropolitanè, Decreta in proxima congregatione sancita, & communi Reuerendiss. Patrum consensu comprobata, in hac sextæ synodi prouincialis sessione edici ac promulgari omni debita reuerentia instamus & requiramus.

Tum Magister Cæremoniarum tradidit Illustrissimo Metropolitanò fasciculum decretorum. Mox R. D. Archidiaconus ad Illustrisf. Metropolitanum accessit, & ab eo decreta illa promulganda reuerenter accepit, & ascendens am-

Pars III.

bonem præfatiunculam illam, quæ in qualibet sessione ante decretorum promulgationem legi solet, habetur que initio decretorum Concil. 6. recitauit ac promulgauit: & statim descendens fasciculum decretorum promulgandorum Cancellario tradidit: qui ambonem eundem ascendens, ea omnia promulgauit: ijsque abfolutis sententias patrum de more rogauit.

Cum iam hora esset tarda, RR. Promotores pro futura tertia & vltima sessione institerunt: eaque indicta, cum rogitu Actorum, sessio de more vt in prima dictum est, fuit abfoluta ac dimissa.

#### Congregatio publica.

In hac congregatione, Reuerendi Promotores institerunt apud Illustrissimum Metropolitanum pro exhibendis facultatibus absentie a Reuerendissimis Episcopis.

Illustrisf. Metropolitanus cum ipse anno 1579. ob multa, & ea quidem graui negotia, post celebrationem Conc. Prouincialis quinti Romam ad Sanctiss. D. N. profectus esset; vt Tridentino decreto satisficeret, a Reuerendissimo Episcopo Dertonensi, antiquiori suffraganeo, facultatem, qua a sua ecclesia Mediolanensi abesse ei liceret, scripto impetrauit, literis datis Dertonæ oct. Calen. Octobris 1579. In quibus inter alia hoc caput continetur, quod etiam in Congregatione Cancellarius legit.

Exemplum capitis literarum Reuerend. Episcopi Dertonen. ad Illustrisf. Cardinalem S. Prædixis.

Causas præterea intellexi suscepti itineris tui, quas exactè & adamussim in suis literis Amplit. tua Illustrisf. recenset: partim scilicet, vt nonnulla charitatis officia non leuibus de causis Mantuæ obiret; partim vt religionis gratia Camaldulensium heremum, & sacram Beatissimæ Virginis Lauretti domum inuisitaret, indeque se Romam conferret, pro ecclesia sua Metropolitana de Coepiscoporum Prouincialium negotijs cum Sanctiss. D. N. tractandis, & vt decreta

L quarta